

Doc. 7

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 7

1239 novembre 14, Lodi

XIII novembris XIII indictionis. De mandato imperiali facto per magistrum P. de Vinea scripsit P. de Capua ad magistros et scholares Neapolis

1

Conceptum dudum serenitatis nostre propositum circa Neapolitani studii debitum incrementum oblivisci non patitur votum nostrum, quin ipsum, tamquam manuumstrarum structuram memorabilem posteris et generaliter omnibus fructuosam, prosecutione laudabili prosequamur et firmamento stabili quolibet eventu firmemus; ex quo non tantum subiectorum nostrorum perpenso consilio profectum multifarie vidimus procurari, dum in regno nostro liberalium artium vigerent studia, quam fame et posteritati nostre dignius fore consultum. Et ut exhuberantem gratiam ad omne firmamentum ipsius excellentia nostra evidenter ostenderet, non solum in urbe nostra Neapolis tam amenissima et famosa, cui terra et mare deserviunt, ipsius sedem locavimus et cultum indiximus generalem, quam etiam magnis immunitatibus decorare magistros et omnem cetum scholarium nostra munificentia non ommisit.

Cumque nuper nos in Italia circa depopulationes nostrorum rebellium magnifice moraremur, in castris nuntios vestros magistrum G. de Antiochia et T. de Cremona fideles nostros ad nostram presentiam destinatos benigne recepimus et petitiones vestras in

Su Pietro di Capua cfr. Schaller, *Die Kanzlei* cit., 3 (1957), pp. 277 s.; W. Heupel, *Schriftuntersuchungen zur Registerführung in der Kanzlei Kaiser Friedrich II.*, «Quellen und Forschungen

sinu clementie nostre clementer admisimus et inter tot occupationum genera, quibus nostra munificentia trahebatur, non inspecta presentis temporis qualitate, set tamquam studii et virtutum quarumlibet zelatores ad ordinationem et cultum Neapolitani studii direximus aciem mentis nostre, et quantum honori nostro, qualitati temporis et indemnitati vestre vidimus ad presens posse consulere, libenter petitionibus vestris duximus annuendum. Statuimus igitur et presenti iussione decernimus, ut omnibus fidelibus nostris regnicolis regnorum nostrorum Ierusalem et Sicilie ad nominatum studium licitus sit accessus et mora. Ultramontanos etiam infra presentem gratiam nostram volumus contineri, ut eis liceat predictas scholas appetere et ibidem studendo morari. Italicos etiam infra presens mandatum nostrum de terris, que nobis et imperio famulantur, volumus comprehendere; Mediolanensibus, Brixiensibus, Placentinis, Alexandrinis, Bononiensibus, Faventinis, Ravennatibus ac Trevesinis nostris et imperii rebellibus exceptis omnino, quibus omnem nostre maiestatis gratiam denegamus. Ad Tuscos autem, Marchesanos omnes de ducatu Spoleti et etiam Campaninos presentem immunitatis nostre gratiam extendi decernimus volentes studiorum Neapolitanorum limina visitare, de terris illis scilicet, que Henrico clarissimo filio nostro regi Turrium et Gallure misso de latere nostro generali legato in Italiam fideliter adhererunt; aliis, qui restiterunt eidem et pape subsunt dominio et quoquomodo sequuntur eundem factorem schismatis et erroris, presenti gratia denegata.

Vos igitur sic presentem munificentie nostre gratiam, ad maiestatis nostre personam, honorem et fidelitatem nostram respectum habentes debitum, animo fidei

recipite, civibus etiam Neapolis fidelibus nostris decentius et modestius solito contentis, ut et vobis cedat ad commodum et profectum voti, quod geritis, et nos tam de fide vestra erga nostram excellentiam, quam etiam de processu ac incremento studii per effectum operis et exhibitionem devotionis et fidei merito gaudeamus.

2

3

4

Datum et cetera.

Questo figlio di Federico II è noto anche come Enzio (o Enzo) (Vd. Enrico re di Sardegna).

Su questi personaggi non si posseggono notizie oltre a quelle fornite in questo documento. Forse T. de Cremona era uno studente, dato che il suo nome non è accompagnato da alcun titolo; mentre l'appellativo magister con cui è identificato G. de Antiochia ci fa capire che, probabilmente, egli era un professore.

È un'espressione tratta dalla liturgia. Cfr. *Hymn. in officio B. Mariae*, ad matutinum, 5-6.